Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



181.

quinq cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum viginti cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum viginti habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo forinsecus ut non haereret muris templi. Domus autem cum aedificaretur lapidibus de dolatis atque perfectis aedificata est et malleus et securis et omne ferramentum non audita cum aedificaretur. Ostium lateris medii in parte erat domus dexterum, et per cochleas ascendebat in medium tenaculum, et a medio in tertium. Et aedificavit domum et consummavit eam. Texit quoque domum laquearibus cedrinis et aedificavit tabulatum super totam domum quinq cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis. Et factus est sermo domini ad salomonem dicens: Domus haec quam aedificas, si ambulaveris in praeceptis meis et iudicia mea feceris et custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum, et habitabo in medio filiorum israel, et non derelinquam populum meum israel. Igitur aedificavit salomon domum et consummavit eam, et aedificavit parietes domus in tribus tabulatis cedrinis a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia operuit lignis in tribus, et texit pavimentum domus tabulis abiegnis. Aedificavitque XX cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad posteriora, et fecit in interiorem domum oraculi in sancta sanctorum. Porro XL cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi, et cedro omnis domus in tribus vestiebatur, habens tornatura sua, et mutulas fabrefactas et calaturas eminentes. Omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omino lapis apparere poterat in pariete. Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam foederis domini. Porro oraculum habebat XX cubitos longitudinis, et XX cubitos latitudinis, et XX cubitos altitudinis, et operuit illud atque vestivit auro purissimo. Sed altare vestivit cedro. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavis aureis, nihilque erat in templo quod non auro tectum. Sed et totum altare oraculi texit auro, et fecit in oraculo duo cherubim de lignis oliveis, X cubitorum altitudinis. Quinq cubitorum ala cherub una, et quinq cubitorum ala cherub altera, idest decem cubitos habebat a summitate alae usque ad summitatem alae alterius. Decem quoque cubitorum erat cherub sedens mensura pari et opus unum erat in duobus cherubim, idest altitudinem habebat unum cherub X cubitorum et similiter cherub sedens. Posuitque cherubim in medio templi in interiori. Extendebant autem alas suas cherubim, et tangebat ala una parietem